

1869

H O M I L E T I C I.

1870

tuſto Anonymo primus e Cod. S. *Emmerammi* protulit *Hier. Pezius* O. S. B. *Scriptor. Rer. Austr.* T. I. col. 36. Dubites, an praefens noſtra ex illa aliquantum aucta; an illa e noſtra contracta fuerit. Elocutio enim paſſim eadem eſt, augmentum vero noſtrum ut plurimum in Proſopopoejis conſiſtit. Praeterea nobis *Florianus* ad *ceciam ciuitatem* habitaffe dicitur, quae in altera a *Pezio* producta *Vita Zaizzelmauer* adpellatur; Mulierem, quae *Martyris* corpus ſepelivit, *Noſtra*, ut iſta, *Valeriam* vocat; denique ſola inter Aegrotos ad tumulum fanatos diſerte *febricitantes* deſignat.

IV. pag. 199. ἀκεφάλως ſequuntur *Sermones de Sanctis*, ut praenotatur, e *Contracto*, et quidem a Feſto *Gregorii M. ſeu Martio* ad *Simonis et Judae* App. ſeu *Oſobrem*. *Contracti Sermones* indicavi *Vol. I. P. 1. col. 1196.* et *Vol. II.* ut *Index* docet.

DCCLXXIX.

U. 149 Codex chartaceus lat. Sec. partim XIV. partim XV. Folior. 227. f. per duas columnas, et priore quidem parte nitide exaratus, rubricis diſtinctus, et, ut loquitur *Theca anterior*, *Collegio Ducali e teſtamento cujuſdam presbiteri* oblatuſ per *Egregium patrem Magiſtrum Paulum de melli-co*, qui a. 1479. deceſſit, ſequentia complectitur: I. *Moralia*, ſeu *Moralitates ſuper Lucam*. Ita quidem Inſcriptio, ſed clariuſ ad calcem fol. 54. ante *Indicem: Colla-*

ciones que precedunt ſunt predicabiles ſub ſcriptis Dominicis et feriatis diebus per totum annum &c. et poſt *Indicem: Expliciunt collationes luce bone per fratrem nicolaum ordinis predicatorum compilate.* Et reiſſa ſingulae hae *Collationes* per decurſum *Sermones* inſcribuntur et ad numerum *LXXXIII.* aſcendunt. Primus incipit: *Ave Maria. Vbi eſt aduertendum quod hoc nomen habet quinque literas, ad denotandum, quod ipſa per quinque dominas veteris teſtamenti, quarum nomina incipiunt ab aliqua iſtarum literarum figuratur.* *Dominæ* porro iſtae ſunt *Michol, Abigail, Rachel, Judith* et *Abiſag*. *Sermo* ultimus finit: *dabant ſibi vires plures, quam prius habuerat.* Jam vero quis inter plures *Nicolaos* homiletas, quos offerunt *Bibliothecarii Dominici*, hic noſter? Ego in *Nicolaum* ſive *Nicolucium*, quod non, ut illi conieſtabunt, contractum e *Nicolao* et *Lucio*, ſed diminutivum *Italis* frequens, ut ab *Hugone Hugucius*, ab *Antonio Antoninus* eſt, ab *Aſculo* vel *Eſculo*, qui circa annum 1330. ſcripſit, propendeo, motuſ maxime, quod illiſ teſtibus T. I. p. 566. *Sermones* etiam *de Mortuis* reliquit. Nam in praefenti *Codice* ab eadem manu.

II. fol. 54. *Incipiunt ſermones fratris Nicolai ordinis fratrum predicatorum compilati de mortuis per totum annum ſecundum curſum Dominicarum*, et quidem a *Dominica prima in aduentu*, cujuſ *Sermo* ita orditur: *Soluite et adducite mihi. Matth. 21. Quia inter ce-*
tera,

F 3

1871

C O D I C E S

1872

tera animalia homo dicitur esse liberi arbitrij et dominus propositorum suorum &c. Sunt Sermones numero LVII. et postremus Sabbatho in quatuor temporibus finit: eterne et beate vite bona. Ad quam vitam nos perducatur ihesus marie filius qui est in secula benedictus Amen. Adjectus est manu Sec. XV. Elenchus Casuum Excommunicationis et Suspensionis a Communionem, quem in Germania scriptum probant inspersa Vernacula Kirichprwchl, Kirichdieb, et Aufreytter der weingart oder achker oder pawm.

III. fol. 113. ἀνεπιγεαφως sequuntur magno numero Sermones de Festis Domini, B. V. M. et Sanctorum per anni circulum, adjunctis Sermonibus de Comuni SS. ad quos Lector in Festis minus celebribus saepe remittitur. Sermo primus est De sancto Nicolao confessore, et incipit: Thezaurus desiderabilis oleum in habitaculo iusti. Prou. 21. Consuetudo est in istis magnis curijs quod aliter prouidet rex tunc quando ingreditur bellum &c. Non dubitem et hos Sermones ad Nicolaum Asculanum referre, cui citati Bibliothecarii Sermones de Sanctis tribuunt, alicubi, ut ajunt, forte latentes. Inter eos geminum de undecim millium virginum fol. 152. p. 2. et fol. 162. p. 2. reperiri miror. Saepe per decursum, et maxime in fine Sermonum monetur Orator: Dic historiam; unde uides, Adparatum potius esse, quam Sermones elaboratos. Finis est in S. Dominico et ejus ordine: quia

armati sunt armatura illius, que demonum potentiam subiugauit scilicet marie virginis, que dedit eis habitum. Et dic qualiter et fac finem. Amen. Subdidit Scriba jocularis: Explicit per manus et non per pedes.

IV. fol. 184. accedit a manu recentiore Συλλογη Sermonum uariorum, qui fortasse Nicolai Asculani Supplementum sunt, nihilque offerunt notatu dignum, sed illos praecedat Elenchus interpretum sacrorum Librorum, e quo ridicula quaedam adscribam: Ad Philippen. zu den versmebern, qui plus philipendebant doctrinam quam omnes greci. Ad Galathas: zu den muetern. Ad Colonicen. proprio nomine redditur ab aqua colonia ubi Jobannite sedent. Numeri. Das puch der czal oder der iuden rayfung vber dew wuchst (Wüste). Apocalypsis. Das puch der gotlichen taugen &c. Thecae Codicis interius fragmentis membranis Talmudicis currente calamo exaratis conuestitae sunt.

DCCLXXX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 934 XIV. Folior. 164. f. per duas columnas nitide, multis tamen uocum contractionibus exaratus, fronte deaurata et coloribus distinctus, olimque Collegii S. J. Viennae hunc minio Titulum praefert: Incipit postilla super euuangelia dominicalia tocius anni exceptis quadragesimalibus edita a fratre francisco de ciuitate astensi de ordine fratrum minorum. Dominica